DE MEDICINAE FONTIBVS IAM APVD HIPPOCRATEM VIROSQVE HVIVS AEMVLOS REPERIVNDIS

PARTICVLA PRIMA

QVAM
INCLYTI MEDICORVM ORDINIS
IN
VNIVERSITATE LITERARVM
FRANCOFVRTANA
AVCTORITATE ET CONSENSV
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
A. D. XVII. MAII MDCCCV.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES CHRISTOPHORVS HEVMANN
MELABVRGICVS RVDOLPHIPOLITANVS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

PRAEFATIO.

Quanquam inde ab HIPPOCRATE ad noſtram vsque aetatem tam crebro immutata variataque medicinalis artis forma eſt, vt, quicquid in ea nuper veri, certi firmique laudem impetrauerat, non ita poſt fluxum, falſum et incertum diceretur: prohiberi tamen tot ac tantis, quae ingruerent, partium diuerſarum rixis et

insulsis cauillationibus non potuit, quo minus et immutabilis rerum natura et morborum origo eadem semper esset. Sic etiam euenisse, puta, vt quae prisci viri, opinionum commentis non turbati nec malo famae aucupandae capti studio, sed egregia prorsus obseruandi ratione incorruptoque iudicio ducti, semel et in perpetuum posuerant, salutaris disciplinae fundamenta, vel inter acerrimas recentiorum disputationes auctoritatem suam tuerentur. Hae quidem veteris sagacitatis reliquiae, quae prostant apud Covm eiusque aemulos, hae, inquam, potissimum sunt, a quibus repeti oportet medicinae stabilis perennisque fontes, quorum inuentorem Scotvm solum bene multi celebrant. Itaque cum, priusquam ex laudabili maiorum instituto ad conscribendum specimen inaugurale animum

adpellerem, diu haesitassem in argumento hunc in finem seligendo, tandem auctore excellentissimo BERENDS, fautore atque praeceptore colendissimo, quam eximie prorsus, rei summam vbi spectas, sibi inuicem congruant medicorum antiquissimorum atque recentissimorum theoremata et praecepta, paucis ostendere suscepi. Quo quidem ab incoepto desistere tanto minus potui voluique, quanto maiore cum emolumento animique gaudio nunquam non otii, quod ab reliquis literarum studiis datum mihi erat, partem haud exiguam in versandis veterum thesauris consumserim. Exordiri placet a memorabili quodam HIPPOCRATIS aphorismo, non quod auctoris mentem satius assecutus mihi viderer aliis interpretibus, sed quod huius iam dudum in collegio examina-

torio

torio ſuo attentiorem memet fecerat prae-ceptor optimus. Quod reliquum eſt, ſi nec hancce commentatiunculam qualem-cunque, nec ipſam ſcribendi materiam doctioribus harum rerum arbitris displi-cuiſſe cognouero, alio forſan tempore, amplioribus ſubſidiis et rediuiua, quam fata aſpera duraque per longum tem-pus inhibuerant, iuſta mentis tranquilli-tate ſuffultus, abſolutius quidquam in altera huius libelli particula disputabo.

HIPPOCRAT. aphor. 3. Sect. I.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἀκρὸν εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γαρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα· μηδὲ τας ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γάρ· ἀλλ᾽ ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν· Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραὶ· καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες, αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραὶ.

Eine

Eine vollkommen starke Gesundheit ist bei den gymnastischen Uebungen, sobald sie aufs Höchste steigt, unsicher. Denn auf dem Grade kann sie weder stehen, noch auch unthätig bleiben. Da sie nun aber nicht in dem Stande der Ruhe bleibt, so kann sie sich doch nicht weiter bessern, und daher verschlimmert sie sich wieder. Aus diesen Gründen ist es gut eine zu starke Gesundheit ein wenig zu schwächen; und doch nicht nach und nach, damit sich der Körper inzwischen wieder erhole. Man treibe aber auch die Entkräftungen nicht aufs Höchste: denn dieses wäre unsicher. Hiergegen bringe man sie zu dem Grade hin, auf dem eine ordentliche Gesundheit bleiben kann. Es sind auch weiter die sich aufs Höchste erstrekkende Ausleerungen der Adern unsicher, und wiederum die aufs Höchste getriebene Anfüllungen unsicher).*

Quae si vel fugitivo tantum oculo perlustraveris Cöi sapientis placita et praecepta, iisdem vix exploratioris quidquam veritatis tradere

---

*) HIPPOCRATES *Werke aus dem Griech. übersezt von* GRIMM 1. Bd. pag. 232.

tradere potuisse priscos medicinae conditores, facile intelliges. Enimuero hoc aphorismo, quem interpretum permulti, maxime GALENVM secuti, de sola euacuationum et refectionum quantitate dictum volunt, prima sane continentur omnis rationalis disciplinae fundamenta.

Auspicatus noster a vituperanda *hypereuexia*, tanquam sanitati tuendae parum idonea, quo rei demonstrandae norma quadam potiretur, *athletarum* exemplo vsus est.

Vt vero hunc locum recte intelligamus, artis palaestricae fata paucis perstringere iuuabit. Vetustissimae quidem huius origines dubio procul repeti merentur a luctatoribus *), qui cum nudi **) certarent, omnium primi γυμναςικοι nuncupati sunt. Postea vero hic titulus ad omnes transferri coepit exercitiorum liberalium studiosos, quorum antiquitus bellicosissimae genti Graecorum magna fuit copia. Verum tamen

*) PLVTARCH. sympoſiac. lib. II. cap. 8.

**) EVSEB. de praeparat. euangel. Lib. IV. c. 8.

tamen hoc nomine peculiariter venisse dicuntur ii, quibus, vt in publicis athletarum certaminibus cursu, saltu, pugnis, lucta, disci iactu commilitones suos antecellerent praemiaque reportarent victoribus posita, inprimis cogitandum fuit de procurando sibi habitu corporis eximie pleno, vegeto et robusto. Iam pridem ante Troiam euersam inter Graecos, viguisse ludos palaestricos, a MINOE et HERACLE institutos, ex PINDARO *), PLVTARCHO**), DIODORO SICVLO***), STRABONE ****) et PAVSANIA †) discitur. Quid? quod adeo, in hisce exercitiis domi militiaeque bonum otium consumsisse Graeciae ingenuos, praesertim Lacedaemonios ††), rerum gestarum scriptores per-

*) Nem. I. epod. 2.

**) in vita Theseid. sub initio.

***) Biblioth. histor. lib. IV.

****) Descript. orb. lib. VIII.

†) Descript. totius Graeciae, lib. VI. c. 16.

††) PAVSAN. l. c. cap. 2.

perhibent *). Poſtea vero paullo remiſſius tractari coeperunt, quibus olim plerique delectabantur, memorata corporis exercendi ſtudia, donec ab integro per IPHITVM et LYCVRGVM, certaminum Olympicorum inſtauratores, adeo creſcere coepit gymnaſticarum artium auctoritas, vt circa has maxime in pueris excolendas aliquamdiu educationis liberalioris cardo verteretur **). Ita enim Pythagoraei, omnium facile primi, qui praeceptis et exemplis alios docerent victus rationem, ſanitati tuendae conuenientiſſimam, curſui luctae et ſaltationi ſingulis diebus operam dare iuſſi feruntur ***). Horum igitur ſtudio et labore praeprimis effectum eſt, vt HIPPOCRATIS aetate pro momentoſa medicinae conſeruatricis parte haberetur cele-

*) PLVTARCH. ſympoſiac. lib. II. quaeſt. 5. et HOMER. iliad. lib. II. 240 aliisque loc. plur.

**) PLATO de legibus lib. VI. p. 599. et lib. VII. p. 578 (ex edit. Baſil. 1534).

***) MEINERS *Geschichte der Wissenschaften.* 1. Th. p. 408. ſeqq.

celebrata ista professio *). Eandem vero exercentes illo tempore raro ἀθληται vocabantur, siquidem hoc titulo potius ornati videntur artis palaestricae magistri seu multarum palmarum veteres certatores. Itaque auctor noster consulto των γυμναστικων vsus est vocabulo ad notandos disciplinae athleticae alumnos, vtplurimum adhuc iuuenes bene valentes. Hi quidem, vt aliquando inter aemulos suos excellerent fierentque athletae omnibus numeris expleti, iuxta maximam, quam impetrare poterant, corporis molem et firmitatem, insignem quoque vorandi facultatem appetere consuerunt. Hinc cibis quotidie sese infarsisse dicuntur quam plurimis iisque potentissime nutrientibus, licet quoque maximam ad partem crudis et apeptis **); quibus

*) Ita enim PLATO (de republica lib. II): ἐςι δε παιδεια, ἡ μεν ἐπι σωμασι, γυμναςικη, ἡ δε ἐπι ψυχῃ, μȣσικη. Atque alibi ab eodem artem gymnasticam τεχνην ποιητικην σωματικης ἐυεξιας nuncupatam reperimus.

**) SPRENGEL *Apologie des* HIPP. Th. II. p. 244.

quibus vt impune vterentur omnes atque ſinguli, contingere non potuit.

Coactos, porro ferunt, ad cibum ſumendum ſeſe inuicem impuliſſe, deambulando concoctionem promouere ſtuduiſſe nec ilico poſt paſtum dormire ſolitos eſſe, itemque inter edendum a potu abſtinuiſſe, ſed poſt concoctum cibum bibere conſueviſſe*). Verumtamen iuxta hanc voracitatem, vt ARETAEVS**) perhibet, maximam ſectati ſunt veneris abſtinentiam. Praeterea quoque eosdem, legitur, de praecauendis ſudoribus oleo inunxiſſe corpora ſua, maxime vero poſt balnea vnctione vſos eſſe, ne reſeratis a balnei calore meatibus cum aliqua caloris natiui parte abiret, quicquid humidi modo receptum fuerit***).

Multi-

*) GALEN lib. ad Thraſybulum, de euexia et de exhortatione ad liberales artes diſcendas. Itemque huc ſpectat PLATO de re publ. lib. 3.

**) De cauſſis et ſignis diuturn. morb Lib. II. cap. 5.

***) HIER. MERCVRIALIS de arte gymnaſtica lib. I. cap. 8. p. 36. ſeq.

Multiplex quidem erat finis, quem sibi propoſuerant excolentes artem gymnaſticam, ſiquidem alii otii conterendi, alii famae aucupandae, alii ſanitatis conſeruandae aut recuperandae cauſſa illis exercitiis dediti, ſeſe habitu vegeto et quadrato donari, gauiſi ſunt. Cum autem horum in plerisque cum aetate florente vtplurimum concurrerent motus largior, digeſtio facilis, victusque bene nutriens, plenitudinis, incrementi et roboris cauſſae praecipuae: deficere non potuit, quin eorundem habitus et adſpectus euexiae omnibus numeris abſolutae exemplum largiretur prae aliis bene multis luculentum et perſpicuum.

At equidem, vt ſinceram auctoris mentem eo, quo par eſt, ſtudio perſequar, ſilentio praetermittere nolim, *euexiae abſolutae* titulo et cauſſam et effectum ſanitatis inoffenſae ceu bonam corporis faciem, cum iuſto, facili iucundoque actionum omnium vſu coniunctam ſignificaſſe veteres. Itidem HIPPOCRATES, dum hac denominatione vteretur, non tantum habitus externi vigorem, ſed iuſtam quoque vis vitalis copiam partiumque organicarum integritatem reſpexit. Cuius quidem

dem ſtatus optabilis cauſſam partim notabili aſſimilatricis facultatis robore humorumque laudabilium abundantia, partim victu euchylo multoque, nec non motus cum quiete alternantis moderato vſu contineri, pluribus locis ille tradidit. Etiamſi vero athletarum euexia, quam addita ἐπ' ἄκρον perductae nota hic diſtinctam, GALENVS *artificialem* nuncupauit, perinde quaſi praeternaturalis nec tuta prorſus COO noſtro viſa eſt*): eam tamen adhuc intra ſanitatem eſſe, vir diuinus credidit. Contra in ſupremo, quod modum ſemel egreſſa attigerit, bonitatis culmine verſantem eamque a ſtatu morboſo, quam a ſano, propius disiunctam, cum in hac vires organismi ſuperet obruatque incitamenti naturalis eiusque permanentis exuberantia, haud immerito ancipitis augurii cenſuit antiquitas. Quae cum ita ſint, viro ſapienti et eius ſtatus, quem *opportunitatis* nomine

*) Διαθεσις ἀθλητικη, ȣ̓ φυσει· ἑξις ὑγιεινη κρεισσων ἐν πασι. μεγα το ποσον εὐςοχως ἐς δυναμιν ξυναρμοσθεν. Lib. de alimento.

nomine Scotvs *) inſigniuit, et vel discriminis, quod hanc inter ſeminiumque ſeu meram *diſpoſitionem ad morbos intercedit* **), notitiam fuiſſe praecurſoriam, quis eſt, qui non intelligat? — Enimuero cauſſae dignitate momentorumque hac priorum copia, euexiae ſecuritatem haud ſecus ac pericula inde metuenda menſus, dubio procul nihil aliud docuit, quam plenitudinem iſtam athletis propriam, vt cauſſae hyperſtheniam facientis momentum internum ceu meram diſpoſitionem phlogiſticam, per ſe non tantam eſſe, vt morbos inferre poſſit, niſi το ἐσχατον ſeu opportunitatis culmen iam attigerit perpetim aucta rerum externarum ſtimulo. Itaque *euexia ſuprema* Coo noſtro audit ſtatus morboſus phlogiſticus, cui tamen nondum ſuperuenerint manifeſta valetudinis aduerſae ſymptomata. Exinde ſimul patet, eundem nec athletis ſolennem viuendi morem ob eumque vulgo natam molis carnoſae abundantiam, vt Galeno et Holle-

RIO

*) Brown elementa medicinae. § 8.

**) Roeschlavb *Magazin der Heilkunde.* 2. B. 1. St. n. 2.

RIO *) visum est, nec obesitatem aut plethoram, vt HEVRNIVS **) et FICKIVS ***) autumant, seorsim respexisse, sed suspectam potius vis turgorisque vitalis enormitatem intuitum esse, generalia tantum traditurum praecepta atque theoremata.

Vt seorsim agam de periculi genere, quod tanta euexia praeditis imminere videtur, huius quidem partes multifariam sibi dare conati sunt interpretes. Eorum sane plurimi, bona fide recitantes ea, quae ex GALENO didicerunt, de nimia humorum copia, et inprimis de plethora, suspectum esse putant habitum athleticum atque inexhausti fere sunt in recensendis, quos ab hac caussa repetere solent, adfectibus morbosis. Primum enim, inquiunt, saepius effici, vt „vasa momentosa, pulmonum

*) Comment. in aphor. Hipp. (Genev. 1646) p. 8.

**) COI aphorismi breui enarratione fidaque interpretatione illustrati (Vltraject. 1691) p. 19.

***) Aphor. HIPP. notis illustrati (Ien. 1729) p. 17.

num inprimis et iecinoris, ſanguinis mole diſtenta rumpantur: quod tamen infortunium, ſi quando acciderit, vix et ne vix quidem absque praeuia quadam partium internarum labe (v. g. corde vel arteria aorta alicubi praeter naturam dilatatis) aut illata corpori violentia occurſurum puto, veluti curſorum, ſaltatorum, equitum et complurium huius ſurfuris, inopina morte perculſorum, exempla haud adeo pauca teſtantur. — Aliam cauſſam, ob quam in discrimine verſari opinantur corpora quadrata et robuſta, vaſorum notabilium, praeſertim eorum, quae capiti proſpiciunt, interceptioni et obſtructioni tribuunt. Quo quidem incommodo apoplexiam, vertiginem et epilepſiam adduci poſſe, ipſis perſuaſum eſt. Ad hanc vero opinionem adducti videntur ſanguinis concretionibus et transfuſionibus, quarum has non raro in cerebro, illas in arteriis magnis inuenerant, mortis profecto ſaepius, quam morbi praegreſſi ſequelas. — Aliam denique periculi ab euexia imminentis cauſſam in obeſitate huicque iuncta vaſorum extremorum compreſſione quaerere ſolent interpretes*). Sic enim, aiunt, perſpirationem

*) Simili modo hunc locum a clariſſimo MEZ-

rationem cohiberi insensibilem, inde calorem natiuum interiora versus repelli et in angustum cogi, coactum vero atque dissipari nescium, nisi hunc quies aut frigus accedens extinxerit, febribus acutis, sanguinis profluuiis, viscerum inflammationibus, syncopae, asthmati et innumerabilibus grauioris momenti adfectibus ansam dare. Id vero demum est auctoris mentem detorquere. Quamuis enim hic alio loco*), ad quem prouocare solent huius opinionis defensores, vitae longioris expertes iudicat natura eximie crassos; hoc tamen de pinguedinis abundantia minus, quam de nimio partium solidarum incremento et turgore vitali (ὑπερευσαρκία) in vniuersum dictum esse, coniecturari licet. — Atque adeo GALENVS, quem ceteroquin, multis ambagibus vsum, interpretationis passim contortae et ineptae reum feceris, in eo saltim, quod apprime ab insigni carnis mole huicque iuncta humorum abundantia repeteret constitutio-

 nis

LERO (*über die Vortheile des Fiebers in langwierigen Krankheiten*) p. 134. accipi miror.

*) Aphor. 44. Sect. II.

nis athleticae incommoda, aphorismi noſtri ſenſum fere aſſecutus eſt. Verum hoc longe magis accuratum et ſubtilem in explanando loco memorato ſeſe praeſtitit FRANCISCVS VALLESIVS *), quippe qui, licet ex altera parte ſanguinis putredinem ex polychylia prouenientem ſomniatus, ex altera pathologiae ſolidari pronus, discriminis, in quo verſantur nimio corporis vigore pollentes, a decreſcente vaſorum iuſta amplitudine, vt ineluctabili τῆς ὑπερευσαρκίας effectu, cauſſam repetere anniſus eſt. Ita nimirum a ſincera COI mente tam parum deflexit, quam vna recentiorum doctrinae multis propior factus eſt, commentatorum veterum, quod hunc inprimis locum ſpectat, facile optimus.

Attamen prae caeteris auctor ipſe conſuli meretur, obſcurior quidem ob dictionis breuitatem, aemulis tamen ſuis multo ſubtilior. Enimuero hic, *neque manere poſſe*, inquit, *in eodem* (hypereuexiae ſupremae) *ſtatu*, *neque ἀτρεμέειν corpora talia*,

*) Comment. in aphor. HIPP. (ex edit. MARCELLINI. Coloniae 1589.) pag. 9.

talia, qualia athletarum ſunt, eximie plena vaſta et praeualida.

Prius vbi ſpectas, cum της ἐυεξιας vocabulo non tam laetabilem corporis faciem et adſpectum, quam potius iuſtam ſolidae fluidaeque materiae temperiem cum normali vitalis facultatis coniunctam efficacia, ipſamque adeo illam roboris et plenitudinis mediocris proſperitatem, quam ARISTOTELES alicubi *ſanitatem optimam*, recentiores *ſtheniam* nuncuparunt, priſci viri*) denotauerint: eosdem a quolibet vigoris naturalis incremento aut decremento, quo longius hoc a laudabili mediocritate abfuerit, exitium tanto celerius metuiſſe, facile iudicabis. Quod autem veteres ſapientiae ſtudioſi, ſolerte corporum rerumque naturalium contemplatione ducti, vno ore profeſſi ſunt, viam habere ad interitum maxime pronam, quicquid rerum mortalium ad ſummum peruenerit, id profecto iam pridem in corpore humano ſeorſim, ſanitatis extremae lubricitate multoties confirmatum

matum

*) GALENVS de different. morb. lib. I. — De tuenda ſanitate lib. I. itemque in lib. de euexia.

matum repererunt ingenioſi ſcholae COAE conditores. Nam egreſſae ab iisdem rationalis diſciplinae diſperſa rudimenta, quibus tanquam in vnum corpus laudabili diligentia collectis, vſu diligente amplificatis, obſeruationum fide confirmatis, ratiocinii ſubtilitate politis et excultis medendi ſcientiam ſtabiliuit poſterisque ab omni parte commendabilem reddidit immortalis HIPPOCRATES, paſſim redolent philoſophiae naturalis, illis iamiam temporibus excoli coeptae haud obſcura veſtigia. Praeſertim vero huic aphorismo, quem iure quidem noſtro habemus accuratioris theoriae medicae pro epitome, inſerta veteris doctrinae monumenta ſatis declarant, quousque in iis, quae vitam regunt, legibus cauſſisque perſcrutandis iam progreſſa fuerit antiquitas. — Atque igitur noſter, inficiatus euexiae ad ſummum perductae ſecuritatem et conſtantiam, non tam fluxam et caducam carnis molem atque plenitudinem, quam potius energiae vitalis, ob ſummam polychyliam omnisque ſtimuli naturalis abundantiam illis in corporibus nimis actuoſae, fragilitatem reſpexit.

Verum inprimis ex altera huius propoſitionis parte, τȣ ἀτρεμεειν conditionem abne-

abnegante tanta euexia praeditis; Coi mentem clare perſpicere licebit. Quo ſtrictim valeat dictio illa ſubobſcura, iam excutiatur, opus eſt. Interpretum bene multi, quos GALENVM ſecutos reperi, palilogiam aut ſaltim fortiorem prioris affirmationem ſuſpicati, dum *ἀτρεμεειν* iſtud latine redderent, *conſiſtere* vſi ſunt vocabulo, vt ſi grauius iterumque negaturus fuiſſet auctor, quam ante pernegauerat, ſtabilitatem in extremo euexiae gradu. Quantum a vero diſtet inanis haec interpretatio, vt ne mirabilem ſenſus vbertatem, a qua laudabilis eſt brachylogia Hippocratica, teſtem proferam, nemo eſt, quem propoſitio ſubſequa hoc non doceat. Eam igitur potiſſimum vrgeant veritatis ſtudioſi. — Aliam vocis eiusdem traducendae rationem, in quam nondum incidiſſe miror recentiores interpretes, coniectura nobis offert. Fac nimirum, *ἀτρεμεειν* metaſtatice *τȣ ἀρτεμεειν* inſtar dictum eſſe, forte etiam hunc locum ſic intelligeres: *non poſſe valetudine ſecunda gaudere* aut citra offenſam perſtare *eos, qui ad ſummum euexiae culmen peruenerint.* Fauere quoque huic interpretationi videtur *της ἀτρεμεως* vox deriuata, quae *ſanitatem* ſignificat. At equidem coniecturalem hanc ſen-

ſententiam, licet alioquin diſciplinae rationalis fundamentis haud contrariam, non veram illam HIPPOCRATIS cenſeo. Etenim ſincere reddituros, quicquid ab antiquiſſimis viris traditum proditumque memoriae eſt, eo potiſſimum ſpectare oportet; vt lectionem difficiliorem, niſi hanc penitus expungi iubeat codicum proſtantium auctoritas, faciliori, tanquam conſueto ignorantiae aſylo, nunquam non praeferant. — Igitur vt ne vim inferam loco explanando, qualem τȣ ἀτρεμεειν notionem auctor ſuam fecerit, ex eodem eruere periclitabor.

COVM quidem immortalem, vt eorum, quae in ſanis eueniunt, phaenomenorum partes ſibi redderet, duplicem ſtatuiſſe valetudinis bonae cauſſam, alteram nempe materiae ſolidae fluidaeque craſin et ſymmetriam laudabilem, alteram inſiti partibus organicis principii vitalis energiam debitam, atque iugiter animo perluſtraſſe, quae de praeſtanda ſalute conſpirant, cauſſas materiales et dynamicas, ante omnia, opus eſt, commemorem. Hinc *euexia* ipſi audit iuſta et proportionata partium omnium, quae organismi ſunt, eique inhaerentium facultatum ad vitam defendendam

dam conſpiratio ceu ea vitalis energiae mediocritas, quae tum comitatur tum viciſſim efficit ſanitatem omnibus numeris expletam. Qui ſuperior hac mediocritate eſt vitae ſtatus, euexiae morboſae, inferior eadem, cachexiae nomine ipſi aemulisque ſuis venit.

Haec quidem obiter dicta ſunto. Seorſim nunc de eo, quem ſuum fecerit HIPPOCRATES, medicinae fonte diſſerendum erit.

Auſo huic ſatisfacturus, in conſtruenda ſanitatis bonae et offenſae notione, quam ipſis praemunitam COI placita et praecepta vbique fere ſapiunt, virum immortalem, licet quam maxime illam facultatem, qua differt a materia inerte animantium vniuerſitas, eiusque gradus diuerſos intueri ſolitum, tamen et mechanicas corporis qualitates diligenter contemplatum, ita principiis organico-dynamicis innisum excoluiſſe medendi ſcientiam, ante omnia oportet commemorem. Quod enim noſter, vt doctrinae ſuae fundamento potiretur, cum PYTHAGORA*) pro conceſſo et

*) DIOGEN. LAERT. de vit. et placit. philoſ. Lib. VIII. ſect. 28.

et probato ſumſit, *calidum innatum* huicque iunctum ἐνορμῶν*), ſi plures eius locos conſulueris, nonniſi vis cuiusdam vndique determinatae, non abſolutae aut ſua ſponte actuoſae notionem denotat. Idcirco ſapientes viros iam ter mille abhinc annis eiusdem rationalis diſciplinae, quam a BRVNONE ſolo ſtabilitam aetas noſtra putat, prima ſaltim rudimenta corporum rerumque naturalium contemplatione ductos inueniſſe, ſtatuere haud abſurdum eſt. Quin adeo, ſi vera ſunt, quae depromere de textu noſtro licet, COVS ſubtiliorem SCOTO ſeſe praeſtitit. Etenim ſatis patet, incitabilitatis notionem, quam extricare ſumtam hic non auſus eſt**), tam claram omnino ſolidamque dudum inſediſſe illius in animo, vt eundem quoque perceptricis atque reactricis facultatis, cuius vtriusque connubio nexuque mutuo continetur incitabilitas, rationem legesque perſcrutatum eſſe, recte ſuſpiceris.

Quod

*) De natur. hom. ſect. III. Cf. aphor. ſect. VIII. 17.

**) Element. medicinae §. 16.

Quod ſi nimirum, vt infra ſatius patebit, memoratam *euexiam* ſanguinis, alimentorum et cuiuscunque ſtimuli proſtantis copia exaltari et intendi, inopia contra diminui, auctor tradidit, quantum a rerum externarum influxu, tum poſitiuo tum negatiuo, organismum pendere crediderit, vltro ſimul faſſus eſt. Sicuti autem vim extrinſecus actuoſam, ni quid foras tendentis illique renitentis vna ſumſeris, per ſanam rationem ſtatuere non licet, haud ſecus et HIPPOCRATES non potuiſſe videtur, quin cauſſam vitae communem in mutuo naturae anorgicae et organicae ſeu virium externarum internarumque conflictu et repulſu quaerendam duceret. Praetereaque cum, vt antagonismi huius rationem tibi reddas, fieri prorſus nequeat, niſi cauſſa quadam ſumta media vim organicam inter anorgicamque; ſimili modo COVS, quantum et perceptricis facultatis partibus in vita efficienda tribuendum ſit, ſeſe haud neſciuiſſe, exemplis luculentis paſſim demonſtrauit. Ita enim, quod inſtar omnium commemorare velim, *calidi innati* dictio, quoties hac eandem facultatem, quae *incitabilitas* in vniuerſum nobis audit, ſignificatam reperimus, toties alibi modo *ſpontaneitatem*, modo *receptiuitatem* ſolam

ſolam denotat. Verumtamen, vt alios locos huc ſpectantes praetermittam, quam maxime exinde, quod alicubi *) ἀρχης ζωτικης και της συρροης nomine principium illud venit, huius absque interuentu energiae vitalis externorumque ſtimulorum ſynthesin ceu vitam effici non poſſe, quantum priſci dubitauerint, facile coniecturare licet. Fac porro, auctorem noſtrum, vt euexiae propoſito exemplo euincitur, non eandem omnibus et ſingulis corporibus, ſed aliis maiorem, aliis minorem tribuiſſe energiae vitalis copiam, habita quidem aetatis, conſtitutionis atque victus ratione**), quin hic ſimili quoque modo hominum cuilibet priuam ſenſibilitatis ratam decerneret, deficere hercle non potuit.

His praemiſſis, ad ea redeundum erit, quae ſupra in medio relinquenda fuerant.

Itaque cum certum exploratumque ſit, *euexiam* ad vltimum perductam HIPPOCRATI idem fuiſſe, quod diatheſis hypersthe-

*) Epidem. lib. VI. Sect. V. 5.

**) Cf. aphor. 14. Sect. I.

persthenica supremum fastigium nacta nobis dicitur; in propatulo est, illum non tam plenitudinis, quippe quae vel infirmis contingere potest, sed quam maxime vis vitalis nimis actuosae stabilitati iure suo diffisum esse in ponderandis habitus victusque athletici incommodis. At enimuero hanc ob caussam ambiguum illud ἀτρεμέειν, quod forte quispiam maiorem prioris in confirmationem dictum putaret, haberi potius velim τȢ μένειν ἐν τῳ ἀυτέῳ (ἐσχάτῳ της ἐυεξίας) pro antitheto. Qua quidem iure prae aliis bene multis VALLESIVS, HEVRNIVS, THOMAS ERASTVS*) et LIBAVTIVS**), qui adhibito verbo *quiescere* idem redderent, facem praetulerunt. Vtut igitur prima huius propositionis particula energiae vitalis nimis actuosae constantiam, sic altera quiescendi conditionem pernegat. En! sententiam, recentiorum cum doctrina eximie concordantem. Perstare enim nequeunt corpora praeualida in summo, quo

*) Praelectt. in aliquot Hipp. aphorismos (in eiusd. opuscul. medic. Francof. ad Moen. 1790. p. 126.)

**) Cf. eiusd. scholia ad HOLLERII comment. in aphor. Hipp. l. c.

quo potiti ſunt, euexiae faſtigio, quoniam, vtut intenditur energia vitalis ipſis propria, ita non poteſt non decreſcere perceptricis facultatis copia. Cuius vero decrementum tam enorme corpus vbi fecerit, vt ad vitam excitandam vix et ne vix quidem amplius ſufficiant rerum externarum ſtimuli, ſubito collabi et proſterni, neceſſe eſt, vires, quae praeter modum auctae paulo ante fuerant. Atque, ceſſante demum omni ſenſibilitate, tollitur et illa neceſſitudo, quae naturae organicae intercedit cum anorgica, hoc eſt dicere, energiam vitalem inter ſtimulosque hanc cientes. — Verum etiam, quod inertes organismi qualitates ſpectat, fieri nequit, vt tales perſtent, quales fuerint, homines enormiter pleni et robuſti. Obſtat nempe, quem ſtimulorum naturalium abuſu ſibi contraxerint, torpor notabilis, quo minus tandem ipſis quidquam proficiant alimenta ſane optima. Quicquid enim ad corpus nutriendum commodi in ventriculum delatum fuerit, priusquam corporis totius in vſum conuerti queat, ſenſibilitatem adficiat, neceſſe eſt. Hac autem feſſa et fere conſumta, cum hisce in corporibus valentiſſimi generis alimenta tantam vim amplius non habeant, quanta viſceri-

bus

bus chylopoieticis ad officia ſua normaliter peragenda concitandis opus fuerit: nutritio demum omnis ceſſat. Vnde non raro pallor, macies atque cachexiae phaenomena apud eos, qui paullo ante valetudine proſperrima vti videbantur, ita, vt bene vereque cum CORN. CELSO *) dicere poſſis: *ſi plenior quis, et ſpecioſior, et coloratior* (ſolito) *factus eſt, ſuſpecta bona ſua habere debet.*

Qui tandem, quaeritur, adductus ſit HIPPOCRATES, vt *quieſcere poſſe*, negaret, *corpora eximie plena et robuſta?* — Quod priusquam ſigillatim explicetur, in *quietis* notionem, qualem hoc loco auctor ſuam fecerit, paullo ſubtilius inquirere iuuabit. Non deſunt forſan, quibus cum LIBAVTIO *ἀτρεμεειν* illud de *quiete abſoluta* ſeu de maximo, quod vnquam in corpore humano euenire queat, ſenſibilitatis incremento dictum videatur. Verum tamen, hoc vbi eſſet, vix tenuius atque peruulgatius quidquam illo placito tradere potuiſſet magnus HIPPOCRATES, vtpote cum

*) De medicin. Lib. II. c. 2.

cum non tantum euexiae, ſed vitae generatim obloquatur inertiae conſummatae cogitatio. Sumamus enim, vitam contineri motu organismi continuo; vltro patebit, eodem loco habenda eſſe mortem inertiamque abſolutam. Itaque, ſi quis eo, qui modo poſitus eſt, ſenſu ſtrictiſſimo vocem ἀτρεμεειν accipi vellet, hunc ita circiter interpretari oporteret: *Euexiae ſummae ideo concedi poſſe nullam requiem omnibus numeris expletam, quoniam haec mortem aut inferret aut ſupponeret.* Haec tamen ſententia, licet alioquin vera, quam inanis, trita et indigna prorſus ſit, quae Coi acutiſſimi verbis inſeri poſſit, loco inprimis ſequente declaratur. Quid enim, ſi hunc ita redditurus eſſes; *cum autem non quieſcant* (i. e. non emortuorum inſtar ſeſe habeant), *nec in melius mutari queant, neceſſe eſt, vt in peius ruant*, quid, inquam, hoc tenuius dici poſſet? — Equidem igitur potius exiſtimo, cum *euexiae* notione non vitam generatim, ſed modo peculiarem quendam huius ſtatum, ideo non abſolutam, ſed modo relatiuam organismi actuoſitatem, (*ſpontaneitatem* ſcilicet *mirum in modum exaltatam*, ſed nihilo minus vna terminis circumſcriptam), auctor ſignificaturus fuerit, ſimiliter non de quiete ſeu

recę-

receptiuitate abſoluta, ſed *relatiua* tantum accipiendam eſſe τȣ ἀτρεμεειν vocabulo expreſſam antitheſin. Ita quietis ſtatus, euexiae ad ſummum perductae oppoſitus, non alius eſſe poteſt, quam optabile illud *ſpontaneitatis* atque *ſenſibilitatis* aequilibrium, quo quidem ſanitas, vt iam ſupra dixi, optima continetur. Quae ſi praemiſeris, haec obtinet interpretatio paraphraſtica: *Nec enim perſtare poſſunt corpora nimis plena et robuſta, cuiuscemodi prae aliis habentur athletica, in ſummo, quod conſecuta fuerint, energiae vitalis culmine, nec perceptricis atque reactricis facultatis potiri aequilibrio ad tuendam ſanitatem commodo.* Atque huius quidem placiti, recentiorum virorum ad doctrinam comparati, facile patet ratio. Namque ob notabilem, quae proſtat illis in corporibus, ſtimuli naturalis copiam vix deficere poteſt, quin incitabilitas, dummodo adhuc ſuperſit huius tantillum, ad motus vitales producendos perpetim valide excitetur. Itaque hoc in rerum ſtatu tantum cum abſit, vt notabile aliquod incrementum capere poſſit ſenſibilitas ad incitas redacta, vt potius, quicquid huius ex interuallo ſomni beneficio vel aliunde inſtauratum fuerit, ſingulis momentis conſumatur: ſperare prorſus non licebit, fore,

vt vltro ingruat optabilis illa virium proportio. Verum non de alio prorſus virium aequilibrio, niſi de eo, quod ſponte ſecuturum eſſet in euexia ſui arbitrii facta, dubitaſſe HIPPOCRATEM, ſolutionis moliendae praecepto, inferius tradito, potiſſimum euincitur.

Cum autem, pergit auctor, *non quieſcant nec in melius mutari poſſint* (corpora tantum euexiae gradum aſſecuta): *ſupereſt, vt in peiorem ſtatum delabantur.* Quae ſi quidem in ſermonem recentioribus magis vſitatum traducantur, ita circiter accipienda ſint: *Cum ob ſummam ſtimuli proſtantis abundantiam de laetabili illo ſenſibilitatis energiaeque vitalis aequilibrio vltro ſecuturo deſperandum ſit nec ad praeſtandam meliorem ſanitatem quidquam proficere poſſit tam enormis perpetuaque virium incitatio: vix et ne vix quidem impediri poteſt, quo minus in ſtatum ipſa deterriorem ceu in morbos manifeſtos abeat, cuius refrenandae cura non habita ſit, opportunitas phlogiſtica.* Qui multifariam ex antiquis interpretibus ii, qui phyſicas mechanicasque organismi qualitates ſolas intueri ſolebant, τȢ χειρȢ pertimeſcendi partes ſibi reddiderint, aliis nempe humorum putredinem, aliis vaſorum rupturam aut

aut obstructionem, aliis alia somniantibus, iam supra exposui. Quantum vero ex contextu nosse licet, HIPPOCRATES, dum haec traderet, non singulas tantum corporis partes aut solos humores, sed organismum vniuersum, materiam vna huicque inhaerentes vires, ante oculos posita habuit. Deinde, vt euexiae morbosae origines et progressus ex ordine ascendente demonstrandi norma quadam potiretur, triplicem organismi statum, alterum nempe *sanitatis* (τȣ βελτιονος), alterum *opportunitatis* (τȣ σφαλερȣ), tertium denique *morbi manifesti* (τȣ χειρονος) animo sibi finxit. Quod si, quid distet inter diuersos illos status, ex virium gradu aestumamus, prior ex iisdem duplicis facultatis, qua vitam regi constat, iustum aequilibrium, alter energiam iusto magis actuosam cum aequabili sensibilitatis decremento, postremo loco memoratus energiam vitalem ad summum vsque concitatam huicque iunctam sensibilitatem fessam et caducam respicit. Fac igitur, quempiam ob constitutionis, victus et aetatis rationem adeo pronum esse ad suscipiendos morbos hypersthenicos, vt iam in opportunitate (ἐν τω σφαλερω) ad illos versetur; in eum exuberantis energiae vitalis caussa non con-

venire

venire posse *quietem* seu iustam virium temperiem, vltro patebit. Eadem vero non comparente, tantum abest, vt sanitatem praestare possit opportunitas phlogistica arbitrii sui facta, vt potius principii sentientis vim enormiter infringendo corporis in ruinam tendat. Ita praeclare sane in illam euexiam cadit LIVII sententia: *Quamuis enim*, ait, *corpora praevalida ab externis caussis tuta videntur, suis tamen ipsa viribus onerantur.* Ceterum sensu latiore accipiendam esse τȣ χειρονος vocem, ideoque tum ad hypersthenism manifestam, tum ad astheniam indirectam, nobis ita dictam, referri debere, iure nostro arbitramur.

Inprimis autem, quam claram et distinctam *opportunitatis* memoratae notionem HIPPOCRATIS doctrina sapiat, praecepto sequente euincitur: *Eapropter*, inquit, *vt corpus denuo nutriri incipiat, euexiam talem* (immoderatam scilicet) *quantocyus soluere conuenit.* Soluitur autem haec non tam artis ministerio, quam et interdum, florente potissimum aetate, salutifero quodam organismi ipsius conamine, in plerisque sanguine e naribus aliisue partibus vltro prorumpente. Huius

ius potiſſimum euentus fortunati exempla, quae ipſi occurriſſe puto bene multa, intuitus videtur, dum haec traderet, naturae aemulus. Quamuis itaque ab eodem alibi alui ductiones, inediam, balnea, et quae ſunt plura, ad corpus extenuandum imperata eſſe legimus, hoc tamen loco ſanguinis miſſionem, quam alia auxiliorum genera, magis reſpexiſſe immortalem diſciplinae Coacae interpretem, iam exinde liquet, quod ſolutionis memoratae *haud cunctanter* moliendae conſilium datum eſt. Cum autem ἀναθρέψιος i. e. aſſimilationis et reproductionis inſtaurandae cauſſa lyſin iſtam parari auctor iuſſerit, quonam hic iure ſuo euexiam iſtam nimiam vel phyſicae corporis integritati contrariam habuerit, paucis oſtendere conabor.

Omnem organiſmi efficaciam in ſui conſeruationem tendere, nemo eſt, quem fugiat. Verum ille talem, qualis eſſe debet, tueri ſeſe nequit, niſi perpetim in reſarcienda, quam fecerit, partium iactura verſatur. Quem in finem opus porro eſt, vt forinſecus eidem ſuggeratur materiae aſſimilandae iuſta copia. Atque, cum aſſimilari quidquam non poſſit, niſi

corpore

corpore ad ſtimulum materiae anorgicae perſentiendum prono; vltro ſequitur, vt quo maius perceptricis facultatis decrementum energia nimis exaltata inter tantam euexiam fecerit, eo minus auſpicato non poſſit non ſuccedere aſſimilatio partiumque detritarum inſtauratio. Quod porro maxime notari meretur, iam per experientiam cognouiſſe HIPPOCRATEM, a ſtimuli interni, ſanguinis praeſertim, nimia abundantia cachexiam inferri, viri in Oeneade patet ex hiſtoria *). Hic enim cum alimentis non reſtauraretur, ſed in dies contabeſceret magis, per venaeſectionem in vtraque manu, donec exſanguis fere redderetur, perfecte liberatus dicitur, licet omnibus antea incaſſum tentatis. Vult itaque COVS, dum inferius ad euexiam ſoluendam ſanguinis detractionem praecipit, vt hac interueniente proceſſus eius, quem aſſimilationis, reproductionis atque incitationis neceſſitudine complexum, organico-dynamicum recentiores nuncupant, ordo inſtauretur. Hunc autem regi et foueri vitalis

*) Epidem. lib. V. ſect. 25.

vitalis facultatis ſtimulique huic incumbentis proportione congrua, inter omnes hodie conſtat. Deinde vel in eo recentioribus comparandus noſter eſt, quod non tam ſtatus praeſentis, quam futuri potius cauſſa, ita non ſymptomatum, quibus quidem caret opportunitas, ſed cauſſarum contemplatione ductus *lyſis* parandae conſilium dedit.

Sapienter porro *cauendum* iubens, *ne modum terminumque excedat paratus partium collapſus, periculoſum pariter hoc eſſe*, addit. — Metonymice dictum eſſe ξυμπτωσιας, ob effectum, quem in corporis faciem et adſpectum habet venaeſectio, commemorare vix opus erit. Notatu vero magis dignum videtur, auctorem noſtrum, poſtea, quam energiae vitalis gradatim increſcentis perſecutus eſt incommoda, ſimili modo nunc decreſcentis pericula ponderare. Demonſtrandi nempe animus ipſi fuit rationem, qua vitari poſſit, ne ob liberalem nimis incitamenti proſtantis ademtionem in ſtatum euexiae oppoſitum, quem debilitatem rectam hodie vocant, organismus incurrat.

Eam ob cauſſam: *ſed eo vsque tan-*

tum

tum, pergit, (*in moliendo turgoris vitalis collapſu*) *progredi licebit; quoad hunc impune ſuſtinere poſſe* natura *videbitur.* — Quamuis in propatulo eſt moniti huiusce ratio, tamen non omni obſcuritatis nota exemtus hic locus videtur, maxime ob vocabulum Φυσις, quod tum ab aliis medicis et philoſophis, cum a primaeuo ſalutaris artis interprete ipſo multifariam accipi ſolebat. Namque hoc nomine modo partium elementarium, quae corporis ſunt, craſin ſeu *temperamentum* *), modo vim aliquam per totum corpus diffuſam ſeu *vitalem facultatem* **), modo *calorem natiuum* ***), modo propriam ſingulis corporibus *conſtitutionem* ****), modo morem atque *conſuetudinem* †) ſeu id, quod

*) Aphor. Sect. II. 34. et III. 2.

**) Epid. Lib. I. Διατεταται ἡ Φυσις δια των ϛερεων μοριων. δυναμις ἐκεινων ȣσα. etc. cf. GALEN. de ſympt. cauſſ. lib. V. c. 2.

***) Aphor. Sect. V. 22. IV. 37.

****) Aphor, Sect. II. 44.

†) Aphor. Sect. V, 44. 46.

quod ſollenniter in homine accidit, illum ſignificaſſe reperitur. Sunt nonnulli, qui cum VALLESIO hunc locum ita dictum volunt, vt in tentanda venaeſectione conſiderari debeat, quam craſſus homo fuerit, antequam ſibi hunc habitum compararet. Eo vsque tantum, hi opinantur, ſolidae materiae collapſum parari voluiſſe HIPPOCRATEM. Equidem vero cum GALENO, HEVRNIO et HOLLERIO vires potiſſimum ſeu *vitalem facultatem* hic ſignificatas, ideoque modo eatenus imperatam eſſe corporis extenuationem cenſeo, quatenus hac de recuperando ſenſibilitatis energiaeque vitalis aequilibrio indigere nec inde fatiſcere corpus viſum fuerit.

Cum autem, quousque cum ſucceſſu et absque damno manifeſto perduci poſſit ſanguinis detractio, in ſingulis corporibus noſſe non ſemper liceat, iam illis forſan temporibus non defuerunt, qui aliam qualemcunque euacuantis virtutis medicinam illius vices et intra abuſum tutius explere, animo ſibi fingerent. Eam quidem ob cauſſam auctor: *Simili vero modo*, ſubiungit, *et κενώσιες ad vltimum perductae, periculoſae ſunt.* — Nonnulli quidem, ad ventriculum et inteſtina referri debere τὰς κενώσιας,

cum HEVRNIO autumantes, ad illum auctoris nostri locum prouocant, vbi dictum fuit: Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γεννῆται, κένωσις ἰῆται *). Verum tamen GALENVS et HOLLERIVS, quos in eo sequi nullus dubito, πλησμονὴν de qualicunque repletione, ita etiam κένωσιν de qualicunque euacuationis genere dictum esse, sagaciter monent. Multo minus ii audiri merentur, qui de sola intestinorum expurgatione hunc locum accipi volunt. Quod quam parum auctoris menti respondeat, vt ne multis commemorem, sola iam pharmacorum, quae huic vsui dicata erant apud veteres, virtute drastica euincitur. Praetereaque, cum alibi ab eodem summa, qua vnquam opus erit, in decernendo hellebori nigri, euphorbiae pepli succus inspissati, dauci cretici seminum, et (quae amplius ipsi innotuerant, purgantium remediorum vsu imperata sit cautio, prudentia et sagacitas: qui fieri potuisset, vt hocce nostro loco abusum tantum vituperatum inuenires, profecto non intelligo. Itaque de alia qualibet, quae praeter venaesectionem adhuc

*) Aphor. Sect. II, 22.

adhuc datur, humorum detractione ad hyperstheniam soluendam commoda, vt victu tenui, potionibus antiphlogisticis etc. κενωσιας valere, crediderim.

Finem faciens rei pertractatae summam ita reddit: *Et vicissim omnis nutritio, quae modum terminumque excedit, periculum infert.* Tulit quorundam opinio, hunc locum ad proxime antegressum ita referri debere, ac si tantum ἀναθρέψιν euacuationi extremae superuenientem, ominosam duxisset HIPPOCRATES. Quantum vero hallucinati sint, quibus haec arrideret interpretandi ratio, multis demonstrare non opus est, cum iam pridem GALENVS post eumque VALLESIVS hac in re iucundum otium nobis fecerint. Quamuis enim noster alibi*), dum post factam venaesectionem, inediam imperaret vinique abstinentiam, medelae in debilitate recta imperandae haud ignarum sese praestitit: ipsi tamen, quae athletarum exorditus ab exemplo carptim demonstrauerat, eadem hic ordine inuerso atque vniuersaliter magis elo-

*) Lib. de victus rat. in morb. acut.

eloquendi animum fuiſſe, dubio procul neminem latebit. Eapropter, ne quid ſatius explanandi penitus praetermittam nec longior ſim propoſito, temporis quidem per anguſtias, generatim commonuiſſe ſufficiat, textu hoc extremo argumenti prioris anacephalaeoſin ceu inductionis peractae ſummam contineri atque ſic omnino ſole clarius patere, quod nonnullorum ex opinione ibidem ſubobſcurius dictum fuerit.

Vtut nimirum, auctor traditurus fuit, *ſanguinis aliusue cuiuslibet humoris laudabilis pernicioſa eſt euacuatio iuſto liberalior; ita quoque nutritionem ad ſummum perductam, qualicunque ceteroquin modo haec parata ſit, pro ſuſpecta haberi oportet.* Quae quidem ad recentiorem loquendi morem accomodata eo circiter valerent: *Vtut ſtimuli qualiscunque inquilini iactura notabilis, opportunitatem inferre ſolet ad morbos aſthenicos; ita eiusdem abundantia, (quam verbi cauſſa exercitatione multa, victu lauto, ſomno largo iisque ſimilium rerum abuſu effeceris), ad morbos hyperſthenicos pronum corpus reddit.*